

Bellarmino, nostrates talia unquam docuisse. Hoc vero in propatulo est, si Origenistas Allegoricos quaeras, si Massalianos, non dubitabis locum ipsis esse inter Pontificios. Quid enim erant postremi, quam Monachi, qui sanctitate singulari prae aliis se eminere arbitrabantur? Ex superfluo vero addit adhuc Alphonsus de Castro ABELARDISMUM, & Lutherum accusat, quod PETRI ABELARDI errorem recoxerit, de absoluta omnium rerum necessitate. Verum etiam si quodammodo hanc mentem sedisse Abelardo ex Epist. 190. Bernardi colligi possit, nec tamen quicquam Luthero aut Lutheranis esse commercium cum illa opinione, vel eo argumento patet, quod nullum locum adversarius adduxerit, sine quo ejus assertis ne minima quidem fides habenda erit. Conf. B. GERH. *Confess. Cathol.* p. 147. Restat haeresis FLORINI, quam non veretur itidem Bellarminus Luthero nostro, in Articulo de Peccato, imputare, quasi docuerit, aut directe, aut indirecte, DEUM esse causam peccati; quando in libro de servo arbitrio dicat, *illud velle, quo Judas voluerit Christum prodere, fuisse opus DEI, nec fuisse in manu Judae, aut ullius creaturae, mutare illam voluntatem.* Libro cit. IV. de Not. Eccl. p. 319. Potuisset vero facile advertere accusator, Lutherum loqui de actu volitionis simplici, non cum adhaerente ἀνάγκη, quam hominis, non DEI opus esse, pronunciat: Deinceps, ut aperte ille locus, qui longe aliis verbis conceptus est. T. III. Altenb. p. 244. quemlibet accuratius intuentem edocebit, ipsi est sermo de προγνώσει divina, quae nequaquam falli possit, ita, ut omnia eo ordine eveniant, prout illa praevидit, non vero de praedeterminatione aliqua fatali, ut DEUS voluerit Judam esse proditorem: Anne vero ille causam peccati in DEO collocat, qui ejus προγνώσει certam & infallibilem pronunciat?

ciat?